

DISPUTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA,

*continens*

DECADES TRES  
CAUTELARUM,

Quam

SUB AUSPICIO  
DEI TER OPTIMI TER MAXIMI

*Ex Decreto & Autoritate*

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, ET AM-  
PLISSIMI ICTORUM IN INCLYTA AR-  
GENTORATENSIVM UNIVERSITATE  
ORDINIS

PRO LICENTIA

*Summos in utroque Jure Honores ac Privilegia  
ritè legitimeque consequendi*

SOLENNI Eruditorum Examine submittit

JOHANNES CHRISTOPHORUS *Nehring*  
Pfollendorfo-Thuringus.

*Ad diem 21. Mensis Octobris.*

Horis Locoque consuetis.

---

ARGENTORATI

Exprimebat JOHANNES WILHELMUS TIDEMANN.  
ANNO O. R. M. DC. LXIX.

ss. jur. civ.

64,2

DISPUTATIO IN ANGLICIS

DE

DE CALLEDERES

CALLIDARUM

DE

DE

MA

RA

DE

PRO LICENTIA

JOHANNES

DE

ANNO



In nomine Domini nostri Jesu Christi,  
Amen!

**N**on obstante eò , quod Budæus, aliique scribunt : Cautelis imputandum esse, quod sanctissimum olim Juris studium ab antiquo illo veroque videamus degenerate &c. ideoque illas improbant. vid. Calvin. & alii in *Lex. Jurid. voc. Cautela.* puto, illas esse valdè utiles, imò Juri convenientes, cum juxta illud cautela superflua non noceat. *L. Testamentum. 17. C. de Test.* ubi Gloss. *voc. Cautela. l. 94. ff. de R. I. l. 6. §. 1. ff. de negot. gest.* Matthæus Wesenb. *p. 3. Cons. 131. n. 6. & Cons. 127. n. 18.* Frid. Pruckmann. *vol. 1. Cons. 21. n. 125. & Cons. 37. n. 13.* Magnif. Dn. D. C. P. Richter. *Fac. Jurid. in Alma Salana Ordinarius, Patronus meus semper colendus, vol. 1. Cons. 8. p. 1. n. 15.* Hinc etiam veteres Jctos, imò Imperatorem nostrum Justinianum ipsum, licet alio nomine ejusmodi aliquoties videmus tradere cautelas, Exemplum habemus in §. 3. *Instit. de pupill. Substit.* vid. ulterius Præf. Johannis Fichardi præfix. *Cautelis Bartholom. Capollæ.* Minimè autem approbo illas Cautelas manifestè frivolas, iniquas atque inhonestas, & quæ conscientiam lædunt; Ideò quasdam ex Jure nostro & diversis Authoribus ut Juri consentaneas & æquitati convenientes collegi, & loco Disputationis Inau-

guralis proponere volui. Antequam autem ad ipsius rei penetralia accedo, non abs re fore duxi, circa ipsius vocabuli Cautelæ Etymologiam, Homonymiam, Synonymiam atque descriptionem primam curam impendere. Derivatur autem istud vocabulum à verbo *Cavere*, quod & jam olim apud Romanos proprium ferebatur Jctorum. vid. Fichard. *in d. præfat.* Ex quibus patet, hanc vocem omninò barbaram non esse, ut quidam existimârunt, utitur enim eâ Ammian. Marcell. *lib. 14. & 29.* aliique. vid. Dn. Just. Mejer. p. m. *Disput. Apologet. Dec. 5. c. 9. ad L. 14. pr. ff. depositi.* Deinde vocabulum hoc in Jure nostro diversam habet significationem. (1.) sumitur pro tacita hypotheca. *Auth. Sacramenta. C. quando mul. offic. tut. fungi pot.* (2.) pro obligatione. *l. 8. C. de novat.* (3.) pro cautione *l. 15. §. ult. ff. de procurat. l. 14. in pr. ff. depositi. l. 21. ff. de Judic. l. 6. ff. de pignorat. act. Nov. 22. c. 45.* Sic sumitur etiam cautela litis pro cautione de Judicio sisti in *l. 28. §. 3. C. de administr. tutor.* In præsentî vocabulum hoc nihil aliud significat quàm Consilium, quò alicui consulitur, quid in hâc vel illâ re faciendum; vel etiam significat Remedium, quò alicui succurritur. Exemplum est in *l. 3. §. 2. vers. idem Servius probat. ff. de statulib. & L. si quis duos. 67. ff. de solut.* Fichard. *in d. præfat.* & sic à Doctõribus communiter sumitur. Hinc describo Cautelam, quod sit remedium, quò Jus vel res alicujus conservatur.

His ita prælibatis rem ipsam aggredior, sic igitur

DECAS

## DECAS I.

## CAUTE LA I.

**C**onjuncta persona, gerens negotia absentis, protestetur, se non donandi animo, sed utilitatis causa pro absente negotia gesturum.

**N**otum est ex Jure nostro, quod negotiorum gestor, qui utiliter negotia alicujus gessit, ratione expensarum &c. Dominum rei gestæ habeat obligatum, indeque ei actio contraria contra illum detur. vid. §. 1. *J. de oblig. quæ quasi ex Contract. nasc.* l. 2. 9. 28. & 45. *ff. de negot. gest.* Schneidvv. *ad d. §. 1. J. de obl. quæ quasi ex contr. nasc.* num. 5. 6. 8. *Coll. Jur. Arg. ad Tit. ff. de negot. gest. th. 39.* Magnif. Dn. G. A. Struv. jam Consil. Cam. Sax. Vinar. Patronus atque Præceptor meus ætatem colendus, *in Syntagm. Jur. Civ. Ex. 7. th. 52. 53.* Magnif. Dnus Joh. Rebhan. *Facult. Jurid. in hâc Univers. Argentoratensi Senior ac p. t. Decanus celeberrimus, Patronus meus semper honorandus, in Hodog. Jur. chart. 2. clim. 3. parall. 3. §. 22. p. m. 549.* Quod Doctores ita explicant, nempe ubi non apparet, hunc qui gessit, animum donandi habuisse, l. 14. *ff. de neg. gest. l. 12. C. eod. C. J. A. ad dict. Tit. th. 42. n. 10.* & dd. *Aut dict. loc.* Colligitur autem iste animus vel ex pietate paterna. l. 34. *ff. de negot. gest. l. 1. II. 15. C. eod. l. 50. ff. fam. ercisc. vel filiali. l. 12. C. de negot. gest. vel ex affectione maritali l. 13. C. d. t. l. 22. §. 8. sol. matr. vel etiam ex alia causa. vid. l. 27. §. 1. & l. 44. ff. de neg. gest. & l. 1. C. eod. Schneidvv. d. l. n. II. Dn. Struv. d. Ex. th. 54. & C. J. A. ad dict. tit. th. 43.* Si itaque conjuncta persona non vult donare impensas ratione rei gestæ, tunc optimè facit, quando protestatur, se non donandi sed recipiendi animo negotium gesturum, per d. l. 34. *ff. de neg. gest. l. 14. §. 7. de relig. & sumt. fun. l. 1. II. & 15. C. de neg. gest. Joachim. Myns. in Comment. ad Instit. ad d. §. 1. Inst. de Obl. quæ quasi ex contractu nasc. lit. I.*

n. II. Schneidvv. *ad eundem §. num. II. Dn. Struv. d. Ex. 7. th. 54.*  
 C. J. A. *ad d. tit. de negot. gest. th. 44.* protestatio enim conservat  
 Jus protestantis, aliàs in Jure satis fundatum. *l. 22. in pr. ff. de L. 3.*  
*l. 34. ff. de neg. gest. c. cum M. Ferrariensis. 9. X. de constitut. Dn. Carpz.*  
*in Process. Tit. 17. art. 1. n. 6.*

## CAUTE LA II.

Contra hentes cum minoribus tempore  
 Contractus illos de beneficio restitutionis in  
 integrum præmoneant, & hoc factum esse  
 Instrumento renunciationis inseri curent;  
 vel etiam eò laborent, ut minores huic bene-  
 ficio juratò renuncient.

Experientia testatur, quod contra hentes cum minoribus  
 sub prætextu læsionis post majorenitatem sæpè propter contra-  
 ctum inîtum litigare oporteat, cùm illis intra certum tempus re-  
 stitutio in integrum detur. *l. ult. in pr. C. de temporib. in integrum re-*  
*stit. Dn. Struv. Ex. 8. th. 64.* C. J. A. *ad Tit. ff. de in integr. restit.*  
*th. 26.* Ad evitandas autem omnes difficultates & lites futuras  
 contra hentibus cum minoribus securè & benè prospectum erit,  
 si juxta supradictam Cautelam minores de beneficio restitutio-  
 nis in integrum præmoneant, & hoc Instrumento inseratur;  
 Nam nisi conceptis verbis Instrumento adjiciatur, intervenisse  
 non præsumitur, cum sit solennitas extrinseca. *L. sciendum. 30. ff.*  
*de V. O. ibique Gothofr. in Not. Cyn. in l. 2. C. de rescind. vend. Tes-*  
*saur. decis. 222. n. 5. & 6. Gail. 2. Obs. 41. num. 9. & 10.* vel etiam  
 quando minores contractum jurejurando confirmant, & huic  
 beneficio juratò renunciant, tunc enim restitutioni etiam non  
 est locus. *l. 1. & Auth. Sacramenta pub. C. si advers. vend. l. 3. C. si min.*  
*se maj. dixer. Barbof. ad dict. Auth. n. 14. Dnus Struv. Ex. 8. th. 54.*  
*Dn. Carpzov. p. 2. Const. II. def. 50. per tot. ratio est, quia Jura-*  
*mentum minorem facit majorem, d. Auth. Sacramenta. C. si advers.*  
*vend.*

vend. Gothofr. in l. acta. 45. §. 2. de re jud. lit. t. Carpzov. p. 1. C. 26. d. 13. num. 2.

## CAUTE LA III.

Vocatus in Jus coram Judice, cujus testimonium ei est necessarium in eodem Judicio, petat eam removeri à judicando, & pro causa petitionis alleget, sibi illius testimonium esse necessarium.

Certum est, nullum in una eademque causa duplici, Judicis nempe ac testis fungi posse officio. arg. l. 6. C. de postul. can. 2. 4. quest. 4. l. 23. C. de testam. ibi: absurdum. Carpz. in Process. Tit. 13. art. 5. §. 9. n. 62. usque. 66. & part. 2. C. 16. def. 61. Si quis itaque coram eo Judice in Jus vocatur, cujus testimonium ei est necessarium in eodem Judicio, tunc ille propter allatam rationem non debet talem Judicem admittere, nisi causa cadere velit; Ideò aliter non potest, quàm ut adhibeat supradictam cautelam, ut etiam fecit Præpositus in c. dilecto. 40. X. de Testibus. Et hujus rei ratio hæc est, quia facilius inveniuntur multi Judices, quàm unus testis, ut voluit Gloss. in c. insinuante. 25. & ibi Innoc. Hosti. Joan. Andr. Bl. & Gloss. in c. cum R. 35. X. de offic. deleg. & in c. 1. 3. qu. 5. Unde fit, quod minor causa sufficiat ad recusandum Judicem, quàm ad repellendum testem, Secundum Gloss. & Dd. ad cap. dilecto. de testibus. Martin. Uranius Lect. ad d. c. n. 3.

## CAUTE LA IV.

Citatus ad Judicium diligenter Acta perlustret, & videat, num citatio ad instantiam partis facta sit nec ne.

Expediti Juris est, quod Judex regulariter non proprio motu, sed tantum ad instantiam partium Citationes decernere debeat, aliàs tales citationes sint nullius momenti. l. 68. ff. de Judic. ibi:

*dic. ibi: ut primò quis petat. l. 4. §. 4. ff. de damno infect. l. ult. C. de bon. aut. Jud. possid.* ratio est, quia Judex regulariter ad utilitatem privatam nemini officium suum impertiri debet, nisi prius implo-  
 ratum sit, *d. l. 4. §. 8. ff. de damno infect. c. bonæ memoria. de postul. præl.*  
 ibique Gloss. in verb. *curavimus.* Petr. Termineus in *Process. Jur.*  
*c. 4. n. 10. 11.* ibique Jacob Schultes. Hinc ad citationes inter  
 alia requiritur, ut in illis nomen exprimat illius, ad cujus in-  
 stantiam sit facta, & hoc modo citatus intelligere possit, quis  
 actor, & quod citatio non ex officio Judicis emissa sit. Carpzov.  
*in Proc. Tit. 7. art. 2. §. 3. n. 10. 11. 12. 13.* Si autem de hoc non  
 constat ex citatione, tunc supradicta cautela adhiberi potest, &  
 quando ex Actis hoc non apparet, citatio illa non valet, nec reus  
 aliquid respondere tenetur. Bart. *in l. 15. §. 16. ff. de damno infecto.*  
 Aliud autem dicendum est, si citatio concernit utilitatem publi-  
 cam, quia tunc valet, etiamsi ad instantiam partis facta non sit.  
 Andr. Gail. *1. O. 50. n. 3. 4. 5. 6. 8.*

### CAUTE LA V.

Citatus impeditus, in Termino nun-  
 cium mittat, & per hunc Judici Impedimen-  
 ta notificet.

Inter alias Exceptiones ex persona rei provenientes est  
 Exceptio Impedimenti, quando reus excipit de Impedimento,  
 ob quod in termino comparere nequit. *l. 2. §. 3. si quis cautionib.*  
*l. 1. de divers. temp. præscript. l. 60. ff. de rejud. C. J. A. ad Tit. de Except.*  
*& præscript. Except. 51. th. 130.* quod reus probare tenetur, & ob hoc  
 excusatur. Dn. Struv. *Ex. 5. th. 29. & Exerc. 46. th. 5.* Justum  
 verò Impedimentum est, si quis impediatur morbo fontico, non  
 tantum proprio, sed & conjugis & Liberorum, (quippe qui pars  
 corporis mariti & patris habentur, eandemque ferè curam ipsi  
 pariunt, ejusque animum reddunt anxium) nimiâ tempestate  
 pluviarum, vel vi fluminis, bello sive expeditione publica, pesti-  
 lentiæ periculo, peregrinatione extra fines territorii suscepta, ca-  
 rentia sive morbo Advocati, (maximè si alium habere non po-  
 tuit,) vel si alia causa subsit, propter quam in Judicio comparere  
 nequit.



nequit. d. l. 2. §. 3. & seqq. ff. si quis caut. in Jud. sist. caus. ubi Jason n. 1. l. 53. §. 2. & d. l. 60. ff. de re jud. Joh. Zanger. de Except. p. 2. c. 9. n. 3. 13. 23. Dn. Carpzov. p. 1. C. 9. def. 7. 8. 9. Nobiliss. Dn. D. J. V. Bechmann, in Acad. Jenensi P. P. Patronus atque Præceptor meus honorandus, in Comment. ad Pand. Tom. 2. Ex. 6. in obs. pract. 2. 3. 4. Ut autem eò facilius citatus excusetur, benè agit, quando ut supradictum ejusmodi Impedimentum Judici in Termino per Nuncium notificat; per hoc enim excusatur illius absentia. Matth. Coler. ad c. 2. & c. 10. n. 33. X. de Exc. Ludovic. Gilhaus. in Arb. Jud. Civ. cap. 10. ramusc. 10. de Except. num. 42. 43.

## CAUTE LA VI.

Citatus ad Locum non tutum mittat Advocatum, & per hunc alleget Exceptionem loci non tuti.

Certi Juris est, quod citatus ad locum non tutum, non teneatur comparere. Clement. Pastoral. 2. §. notorium. de sent. & re jud. ibique DD. cap. accepimus. 4. X. de fid. instrum. l. 59. ff. de Judic. Afflict. decis. 289. num. 20. & 24. Hinc ratione loci non tuti citatus potest opponere Exceptionem loci non tuti, & petere, ut illi Salvus Conductus concedatur, quem Judex etiam concedere debet. Jac. Menoch. de A. I. Q. lib. 2. Cent. 2. Cas. 153. n. 10. & seq. Carpzov. p. 1. C. 9. def. 7. n. 4. Dn. Bechm. in Comment. ad Pand. Tom. 2. Except. 2. obs. pract. 34. Dn. Struv. Ex. 46. th. 5. in fin. C. J. A. ad Tit. ff. de Except. & præscript. Except. 54. th. 133. Quia autem periculosum est hanc Exceptionem in propria persona allegare vel proponere. Ideò cautè agit citatus eo in casu, quando notorium est, in loco citationis morari inimicos, vel quando scit, ipsi carcerem esse destinatum, ut tunc Advocatum vel Execufatorem (uti Dd. vocant,) mittat, & hanc Exceptionem alleget. c. cum dilecti. 6. de dolo & contumacia. ibiq; Gloss. in verb. responsalem. Afflict. d. l. num. 24. Gail. 1. Obs. 52. n. 3. 8. Talem autem allegationem etiam in scriptis fieri posse non dubito.

B

CAU-

## CAUTE LA VII.

Citatus qui non vult in Judicem consentire, cum hâc protestatione compareat, se non intendere per hanc suam comparitionem aliter in Jurisdictionem istam consentire, nisi quatenus & in quantum de Jure teneatur; minimè autem talia verba proferat, per quæ in Judicem consentire videatur.

Non minima inter Exceptiones dilatorias est Exceptio fori declinatoria; quæ non per literas sed oretenus vel per se, vel per procuratorem l. 1. §. 2. ff. de procurat. proferri debet, ne sc. Judicis autoritatem citatus contemnere videatur, l. 5. ff. de Jud. l. 2. si quis in Jus voc. non ierit. Constitut. Elect. Sax. 3. p. 1. ubi Dan. Moller. n. 1. Petr. Termin. in Proc. cap. 14. n. 1. usque 8. ibiq; Jac. Schultes. Carpzov. in Proc. Tit. 9. art. 2. §. 3. n. 8. II. & seqq. & C. 3. p. 1. def. II. nisi notoria sit omnibus, quæ ulteriori probacione opus haut habeat. c. ad nostram. 21. X. de jurej. Clem. Pastoralis. de sentent. & re jud. dd. Aut. dict. loc. Quia autem comparens per verba huic Exceptioni contraria facilè in Judicem aliàs incompetentem consentire videtur, Ided ille supradictam cautelam benè observare & intra cancellos protestationis manere, nec protestationi planè contraria subjicere e. g. contra Procuratorem non legitimatum vel libellum ineptum excipere, vel etiam aliam Exceptionem dilatoriam objicere debet, nam per hujusmodi Actus protestatio prior planè eluderetur, atque hoc modo citatus in Judicem non suum tacitè consensisse videretur, nec deinde eum reprobare posset. Everh. Speckhan. in Qu. Jur. Cent 2. class. 4. quest. 1. n. 1. Petr. Termin. in Proc. cap. 203. n. 3. 4. 5. ibique Jacob. Schultes. Hoc tamen temperatur, si post actum protestationi contrarium, priorem protestationem repetat, quasi diceret: der Procurator ist unzulässig / das libell ist untüch.

untüch.

tüchtig &c. doch voriger seiner protestation unbegeben / sondern vorbehalten. Rectè autem reus superiori protestationi subicit hæc verba : nisi quatenus & in quantum de Jure teneatur ; Si enim simpliciter de non consentiendo in Judicem declinet, Judex eum ut contumacem punire possit. Bl. in l. 3. ff. de Judic. Innoc. in cap. humana. de Elect. & hæc præstatio ad majorem cautelam & securitatem non est omittenda ; ut monet optimè Speckhan. d. l. n. 4. Lud. Gilhaus. Arb. Jud. civ. cap. 4. ram. 1. de Citatione n. 12. 13.

## CAUTELE VIII.

Reus Exceptiones dilatorias ad litis ingressum impediendum proponens, non debet simpliciter petere, se ab hac instantia sive observantia Judicii absolvi.

Ratio est, quoniam petitio ista respicit merita causæ, quorum ingressum reus fugit, & absolutio est litis inchoatæ finis & ultimus effectus pro reo convento, & qui contra hæc peccat, sibi ipsi contrarius est, ut probat Angel. Aretin. Inst. de Except. nec reus absolvi potest ab actione cui nondum respondit, aut per litis contestationem se obligavit. l. un. C. de litis contest. Dn. Carpz. p. 1. C. 3. d. 16. n. 8. Ideò cautiorem respectum habere debet reus, ad modum proponendi suas prætenfas Exceptiones dilatorias, juxta Br. in l. 13. ad fin. pr. ff. jud. solvi. Henning. Gøeden. Conf. 33. num. 10.

## CAUTELE IX.

Exceptiones dilatorias proponens non debet dicere, se actorem reconventurum esse.

Qui enim hoc facit, sibi ipsi iterum contrarius est ; Conventionem siquidem Actoris vult aufugere, & nihilominus eundem reconvenire satagit, minimè ponderans, quod verbum reconvenio relativum sit ad verbum convenio, quæ talis

sunt naturæ, quod posita seponantur, & interemta se interimant. Ideò hujusmodi verbo utens, tenetur Actoris libello primò principaliter respondere, & non ita inordinate per fracosas Exceptiones seu appellationes effugere litis ingressum. *c. 1. & 2. de mut. petit. l. cum Papinianus. 14. & in Auth. consequenter. C. de sent. & interloc. Henn. Goed. d. Conf. 33. n. 10. & 11.*

## CAUTELE. X.

Heres antequam usufructuario bona hereditaria tradat, imprimis æs alienum deducat, & quod reliquum est, usufructuario tradat.

Controvertitur alias inter Dd. An usufructuarius omnium bonorum æs alienum solvere teneatur? Quidam hoc negant, & dicunt, quod hoc heredi incumbat, inter quos est *Carpz. p. 2. c. 42. def. 15. n. 1. 2. Dn. Struv. Ex 12. th. 24. in fin. & C. J. A. ad Tit. ff. de usufr. & quemadm. d. in quis & c. th. 35.* Alii affirmant, de his vid. *Gail. 2. obs. 146. n. 1. usque 5* Quicquid tandem sit de hâc lite, suo relinquimus loco. Interim tamen, quoniam usufructuarius possessionem propria autoritate capere nequit, nisi heres institutus sit post mortem usufructuarii, ut tradit *Bald. in l. extraneum. 11. n. 5. C. de hered. instit. Socin. sen. Conf. 131. n. 8. vol. 1. incip. in presenti consultatione.* Ideò heres juxta supradictam cautelam benè facit, si prius antequam usufructuario bona hereditaria tradat, æs alienum deducat, juxta *l. ult. ff. de usu & usufr. & c. per leg. l. fin. §. sin autem. 4. C. de bon. quæ lib. l. 69. ad l. Falcid. Carpzou. d. l. n. 2. & Dn. Struv. dd. ll. distrahendo etiam bona immobilia, si aliunde debita solvi non possint. d. l. ult. §. 4. C. de bon. quæ lib. postea residuum, quod ære alieno deducto & solutis legatis superest, usufructuario utendum fruentum tradat, ut itaque utriusque par sit incommodum, & heres in proprietate, usufructuarius in solo usufructu habeat & sentiat detrimentum, & Jus suum deminutum. *Castrens. Conf. 294. & 459. n. 2. vol. 2. incip. dubium quo quaritur. Gail. d. l. n. 6.**

DECAS

## DECAS II.

## CAUTE LA I.

**V**idua vel alia persona cognata, expensas funerarias faciens, protestetur, quô animo faciat.

**C**ertum est, quod de Jure civili pro expensis & sumtibus funerum factis actio funeraria regulariter cuilibet competat. *L. 12. §. 3. l. 14. §. 6. & seqq. de relig. & sumt. fun. C. J. A. ad dict. Tit. th. 23.* dummodo alia actio non detur; *d. l. 14. §. 12. ff. de relig.* Quod mutatur, si expensas faciens est talis persona, de qua præsumitur, illas ex pietate fecisse. *d. l. 14. §. 7. & seqq.* Sic Jure Saxonico vidua expensas faciens in funus mariti, non aliter recuperat illas, nisi cum consensu heredis fecerit. *vid. Landr. Lib. 1. Art. 22. ibi: mit seinem Rath soll die Frau das Begräbnuß bestellen &c.* Hinc ibidem *in Addit. lit. b.* colligitur, quod si mulier per se faciat ipsa sumtus, non requisitis desuper heredibus, quod illos ex communi hereditate repetere non possit; ratio est, quia hoc de suo ex pietate, non verò animo repetendi fecisse videtur. *d. l. 14. §. 7. ff. de relig.* Quamvis autem hoc secundum assertionem *Dan. Moll. ad p. 1. C. Elect. Sax. 28. num. 19.* hodiè in praxi vix observetur, Tamen huic repugnant aliæ *Dd.* opiniones; Ideò mulier vel alia persona cognata hoc in casu tutius agit, quando protestatur, quô animò funeret, ne postea quæstionem patiat. *d. l. 14. §. 7. ψ. oportebit igitur. add. §. 9. & 13. d. l. Matth. Coler. p. 1. decis. 199. per tot. ut & de Proc. Exec. p. 2. cap. 3. n. 409. Jacob. Schult. ad Modest. Pift. Illustr. quæst. 124. num. 40. Carpzov. p. 1. C. 28. def. 40. num. 1. 2. 3. C. J. A. ad dict. Tit. ff. thes. 24. & Dnus Struv. Excerc. 15. thes. 84. 85. 86.*

## CAUTE LA II.

Actor timens Judicem non sibi, Sed

B 3

Reo

Reo Juramentum delaturum esse, Judici viam præcludere potest, asserendo, reum ad Juramentum præstandum sibi esse suspectum.

Communis est regula, quod auctore non probante reus absolvendus sit. *l. ult. C. de rei vindic. l. 4. C. de edendo.* Si verò præsumptio est pro eo, tunc consideratis personarum & causæ circumstantiis ipsi Auctori vel reo defertur Juramentum. *c. fin. X. de jurejur.* Quando igitur Auctor timet Judicem Juramentum reo & non sibi delaturum esse, potest supradictam cautelam adhibere. Ratio hujus dicti est, quia suspectus de perjurio non admittitur ad Juramentum. *c. 2. X. de Cohabit. Cler. & mulier.* & ita Auctor Jus suum conservare potest. *l. 5. §. 6. ff. de re milit.* Mascard. *de probat. vol. 1. q. 9. n. 57.*

### CAUTELA III.

Notarius mulierem pro alio intercedentem primùm de beneficiis, & nominatim de Scto Vellejano edoceat, & hoc factum esse Instrumento inferat.

Certi quidem Juris est, quod intercessio sive obligatio mulieris pro alio regulariter non valeat. *l. 1. pr. l. 2. §. 1. & passim. ff. & C. de Scto Vellej.* ibique Dd. Communis autem est Dd. opinio, mulierem beneficio Scti Vellejani (etiam extra judicium & non juratò, ergò multo magis in Judicio & juratò) renunciare posse, juxta *l. ult. §. 4. ff. de Scto Vellej. l. 22. C. eod. Auth. matri & avia. & l. fin. C. quando mul. offic. tut.* modò de hoc certiorata & illud factum esse Instrumento adjectum fuerit, & quidem propterea, quia renunciationes stricti Juris sunt, adeoque in iis nihil obtinet, nisi quod nominatim expressum est. *arg. l. 35. & 47. ff. & arg. l. pen. C. de pact. d. l. ult. §. 4. & l. 9. C. ad*

Scto

*Sct. Vellej. C. J. A. ad dict. tit. ff. th. 5. n. 15. Gail. 2. Obs. 77. n. 1. 2. 3 & seqq. Hier. Treutl. vol. 1. Diss. 25 th. 4. lit. f. & th. 5. lit. d. Anton. Hering. de fidejuss. c. 7. n. 105. 106. Barthol. Cæpoll. Caut. 251. in pr. Dn Struv. Ex. 21. th. 10. Hinc videmus cautos Notarios in ejusmodi Instrumentis hâc formulâ uti: Auch begibt sich hierbey das Weib des Beneficii Scti Vellejani, so dem weiblichen Geschlecht zu gut verordnet/ dessen Inhales Sie hiermit in Teutscher Sprach gnugsam verständiget und erinnern worden / &c. Nec elabetur Notarius, si dicat, in istiusmodi clausulis se comunem Fori stylum & consuetudinem secutum esse, nam hoc in præjudicium tertii fieri nequit, nec mala practica est servanda, Everhard. in Loco à Lege cessante. n. 1. Ant. Hering. d. l. num. 504. Hinc mala est cautela, quam ad infringendum Instrumentum per ejusmodi confessionem Notarii tradit Alber. in l. ult. §. pen. ff. ad Sct. Vellej. quem rectissimè refutat Alex. in L. sciendum n. 33. verb. adde tamen, quod contra practicam. ff. de V. O. Mascard. de probat. Vol. 2. Concl. 744. per tot. & Gail. d. l. n. 7.*

## CAUTELA IV.

Volens uti beneficio retractus, quam primum denunciât emtori, ut nullos sumtus non necessarios faciat, cum rem venditam retrahere intendat.

Communis est Doctorum opinio, quod retrahens inter alia ad hoc obligetur, ut simul cum pretio refundat sumtus & expensas tempore contractus factas, non solum necessarias juxta l. 39. §. 1. ff. de min. & Constit. Friderici de Jure *αποτιμήσεως* 1. addatur Const. Elect. Sax. part. 2. Const. 32. ibique Dn. Carpzov. def. 7. num. 1. & Dn. Struv. Ex. 23. th. 65. Sed etiam utiles arg. l. 61. in pr. ff. locati. Gail. 2. Obs. 19. n. 9. Magnif. Dn. Tabor ad C. J. A. In. ff. de contrah. emt. th. 29. Quando autem quis rem venditam retrahere intendit, tunc ille juxta supradictam cautelam benè facit, si emtori statim denunciât, ne sumtus non necessarios

rios

rios faciat; Nam si emtor in fraudem consanguinei vel proximi nihilominus modum expensarum excefferit, non obligabitur retrahens illas refundere. Tiraq. *de retract. convent.* §. 7. Gl. 1. n. 5. Gail. *d. l. n. 9. 10. & seqq.* qui enim sciens in rem alienam impendit aliquid, illud donasse censetur. Dnus Brunnem. *ad l. 2. C. de R. V.*

## CAUTELE V.

Conductor, ne intra tempus conductionis per emtionem à domo expellatur, curet, ut Dominus promittat sub obligatione omnium bonorum suorum, & in specie illorum, quæ jam locavit, se nolle domum vendere in ipsius conductoris præjudicium!

Quamvis obligatio ex locatione & conductione in heredes transeat, juxta *l. 10. & 11. C. de locato conducto.* vid. Dn. Struv. *Ex. 24. th. 10. & 13.* Indeque actio heredibus & adversus heredes competat. *dict. l. 10. l. 29. & 34. C. d. t. Const. Elector. Sax. p. 2. constit. 37.* ibique Dn. Carpzov. *def. 4. C. J. A. ad Tit. ff. loc. conducti. th. 28. fermè in med. p. 1115.* Tamen successor singularis (ut emtor domus vel fundi) non tenetur servare contractum locationis, sed conductor cedere debet, juxta *l. 9. C. l. 25. §. 1. & l. 32. ff. locati.* hinc ortum est proverbium: *Kauff gehet vor miethe.* Schnob. *Disp. ad Pand. 11. thes. 29.* Dn. Strauch. *Diff. 15. aph. 21.* Dn. Ludvv. *Disp. Justin. 13. th. 6. lit. e.* Wisenb. *Disp. Jur. civ. 36. th. 29.* & conductor tantum habet actionem personalem contra ipsum locatorem, qui rem locatam ante tempus conductionis finitum vendidit ad Interesse. *d. l. 25. §. 1. ff. locati.* Optimè autem per adductam cautelam conductori potest consuli, quia tunc propter constitutam hypothecam conductor non cogitur cedere ante finitam locationem, etiamsi locator emtorve Interesse offerat, cum res transeat cum suo onere. Joh. Schneidvv. *ad §.*

ad §.



*ad §. actionum. Inst. de Action. Actione ex conducto. n. 6. & ad §. fin. 1. de Loc. conduct. n. 3. 4. Dn. Carpov. p. 2. C. 37. def. 4. n. 5. Dn. Struv. Ex. 34. th. 27.*

## CAUTE LA VI.

Renuncians Testium productioni non dicat se renunciare probationibus, sed tantum specialiter productioni Testium.

Ratio est, quod si uteretur generali verbo probationibus, ipse tunc non posset postea producere literas & Instrumenta. Ideò renuncians cautè agat & curet, ut hoc modo ad Acta redigatur & non aliter. *Specul. Tit. de product. Test. §. fin. vers. item nota. quem sequitur Paul. de Castro in Auth. Jubemus. C. de judic. Mart. Uran. Lect. ad c. cum venisset. 25. X. de Testib. n. 18.*

## CAUTE LA VII.

Renuncians non simpliciter renunciaret productioni testium, sed conditionaliter, si & in quantum Adversarius etiam renunciaret.

Notum enim est, quod renunciatio facta per unam partem, non possit nocere alteri, *Auth. jubemus. C. de Judic. cum factum cuique suum non adversario nocere, l. 15. ff. de R. l. nec alterius collusionem vel inertia Jus alicujus corrumpi debeat. l. 9. in pr. ff. de liber. causa quod in specie ad hunc casum extenditur in c. cum venisset. X. de test. Ang. in Auth. de testib. c. 4. coll. 7. const. 90. in 9. col.* Ideò renuncians ut supra dictum cautus esse debet; Aliàs enim Adversarius, qui non renunciasset, ulterius posset testes producere, ipse autem renuncians non posset, & sic suam conditionem ceteriorem fecisset renunciando. *Specul. d. t. de prod. test. §. fin. verb. ult. & Paul. de Castro in d. Auth. Jubemus. C. de jud. Et quamvis aliàs dilationes sint communes utrique parti. l. 6. §. 1. in fin. C. de temp. in integr. restit.* Tamen quia simpliciter renuncians productioni testium se ipsum exclusit ab ulteriori productione, dilatio

C

tio

tio postea Adversario, qui non renunciavit, data, renunciati non erit proficua, neque communis cum adversario. Spec. & Paul. de Castro *d. l.*, ibique Joh. Andr. *in Addit. Uran. ad d. c. cum venisset. de Testibus. n. 19.*

## CAUTE LA VIII.

Qui vult, ut etiam nepos ex Spurio alimenta Spurio constituta post mortem illius accipiat, potest illa relinquere in testamento.

Spuriis nihil dari vel testamento relinqui posse à patre naturali, probant Dd. ex *Auth. ex complexu. C. de incest. nupt. l. 1. & Auth. licet. in fin. C. de nat. lib. c. ult. Auth. quib. mod. natur. eff. sui. coll. 7. tit. 1. N. 89.* ita ut Jure Civili ne alimenta quidem à parentibus consequantur. *d. Nov. 89. c. ult. & d. Auth. C. de incest. nupt. Gail. 2. O. 88. n. 1. 2. 3. Dn. Strauch. Diff. II. th. 21. & C. J. A. ad tit. ff. si tab. test. null. ex tab. th. 22.* Quæ tamen Alimenta Spuriis ex æquitate Juris Canonici deberi, & ita constitui posse alii evincunt ex *c. cum haberet. 5. in fin. X. de eo qui dux. in matr. quam poll. per adult. add. Gl. ibid. in verb. secundum facultates & c. modò aliunde non habeant, unde se alant. D. Carpz. p. 3. C. 14. def. II. Myns. 1 O. 35. n. 2 Gail. d. l. n. 5. & seqq.* quòd & hodiè observatur, Dn. Struv. *Ex 49. th. 25. & Dn. Bechman. in comm. ad II. vol. 2. Ex. 2. n. 115. obs. pract. 1* & quidem ex hac ratione, quia, sicut patri non licet occidere, ita nec alimenta denegare, ea enim denegans, necare videtur. *l. 4. ff. de agnos. lib. C. J. A. d. l. p. 964.* Quoniam verò inter alia alimenta morte finiuntur. *l. 14. ff. de alim. & cib. leg. l. 8. § 10. in fin. verb. constat. & c. ff. de transact. & sic nihil ad liberos Spurii, sed ad patrem alimenta porrigentem redirent.* Ideò qui vult ut ad Nepotem ex spurio alimenta post mortem spurii veniant, juxta supradictam cautelam relinquat illa in Testamento. Ratio est, quia in nepote ex spurio legitime nato cessat causa prohibitionis, nimirum turpitudinis & fornicationis patrocinium. Bl. & Dd. *in L. Gallus. 29. §. quid si. 6 ff. de lib. & posthum.* Siquidem aliàs juxta *l. ult. C. de nat. lib.* illi licite aliquid relinqui potest. vid. *Gail. d. l. n. 13. 14. 15.*

CAU-

## CAUTE LA IX.

Qui bannitum heredem vult instituere, conferat se extra civitatem istam, in quâ est vel fuit bannitus, ad alium locum, qui non subest Reipublicæ illius, & ibi roget Notarium aliquem, ut Testamentum adhibitis septem Testibus secundum Dispositionem Juris communis faciat, in formam Instrumenti redigat, & in eo bannitum instituat, illudq; Testamentum vel ipse Testator in sua arca custodiat vel alicui ad custodiendum in civitate aliquam, ubi ipsi testatori melius videbitur, transmittat.

Constat, bannitos in multis æquiparari deportatis. Castrenf. *conf.* 212. *omiss. lib.* 2. Gail. 2. *de P. P.* l. n. 4. C. J. A. *ad tit. ff. de pœn.* th. 4. n. 1. & *ad tit. de interd. & releg.* Georg. Schultz. *in Synopsi Inst. ad tit. de cap. dem. lit. a.* Dn. Struv. *Ex.* 8. th. 69. Deportati autem sunt incapaces hereditatis. l. 1. *C. de her. instit.* l. 16. *ff. de Interd. & releg.* C. J. A. *ad d. t.* (exceptio est in militis testamento. l. 13. §. 2. *de test. mil.* Dn. Struv. *Ex.* 33. th. 3. n. 3.) ergò etiam bannitus, sive proscriptus, Cic. 3. *Verr.* p. 123. C. J. A. *ad tit. ff. de her. inst.* th. 4. n. 2. Si autem supradicta cautela adhibetur, dubium non est, quin etiam bannito aliquid relinqui possit; Quamvis enim deportati & per consequens etiam banniti amittant ea, quæ alias à civitate obtinebant, atq; ita beneficium statutorum ipsius civitatis, juxta l. 5. §. 1. *ff. de cap. min.* non tamen amittere debent, quod a Jure communi sive Jure Gentium habent. l. 2. §. 1. & l. 17. §. 1. *ff. de pœn.* l. 7. §. ult. *de bon. damn.* l. 15. *pr. ff. de Interd. & rel.* ibique C. J. A. & ita etiam possunt hereditatem capere. Ludov. Bal-

Balognin. *conf.* 35. col. 4. d. l. 15. §. 1. ff. d. t. Schneidvv. ad §. cum autem & seq. 1. quib. mod. Ius patr. pot. solvitur. n. 11. 12. 13. Et per hanc cautelam etiam nepotibus bannitis satis erit prospectum, ut cum effecti fuerunt heredes, disponere possint eodem modo, & relinquere iis, quibus eis placuerit. Jacob. Menoch. *lib.* 3. *conf.* 271. per tot. & in specie n. 3. 11. 12. & 26.

## CAUTE LA X.

Testantes in eadem scriptura diserte & quilibet in specie roget Notarium & Testes, ut subscribant & subsignent Testamentum, eoq; laborent, ut dicant, se signare & subscribere tale Testamentum utriusq; tam mariti quam uxoris nomine, nominando conjuges separatim & specificè, illaq; verba subscriptionibus illorum apponant.

Indubitati quidem Juris est, conjuges in una eademq; scriptura & membrana testari, & se mutuo heredes instituere posse, *L. 19. c. de pact.* Orl. *conf.* 174. incip. *Thema est tale: vir & ux. per tot.* Jul. Clar. §. *Testamentum.* q. 60. n. 1. Non autem tale testamentum reciprocum pro unico sed duobus Testamentis habendum est. *Carpz. p. 3. C. 2. def. 11. n. 5.* & *D. Struv. E. 32. th. 43.* nemo enim alteri testari potest, quia captatoria est voluntas ultima, quæ in arbitrium alterius confertur. *l. 32. in pr. & l. 70. ff. de her. inst.* Hinc est quod testamentum inter conjuges reciprocum ab uno conjugum (quantum ad bona attinet, quæ spectant ad revocantem) etiam post mortem alterius possit revocari. *Struv. d. l. Myns. 1. O. 8* *Carpz. p. 3. C. 2. d. 11. & 12.* cum quilibet intelligatur de suis bonis disponere. *l. 32. de contr. emt. l. 5. §. 2. de L. 1. Gail. 2. O. 117. n. 1. 2.* *Carpz. d. l.* Unde etiam una rogatio & testium subscriptio non sufficit hoc casu, sed necesse est, ut utriusq; nomine signacula & subscriptiones fiant; Quia autem hoc non præsumitur factum esse, Ideo supradicta cautela adhiberi potest. *Ang. in §. 2. n. 2. cum seq. 1. de pupill. subst. Gail. d. l. n. 3.*

DECAS

## DECAS III.

## CAUTE LA I.

**H**Æres deliberans, an velit adire hereditatem, & timens, eam damnosam esse, curet citari omnes Creditores per Proclama sive Edictalem citationem, ut intra certum tempus veniant & edant Instrumenta cautionum sive debitorum hereditariorum.

**E**Xperientia testatur, quod sub hereditate, quæ aliàs magna & lucrosa videtur, sæpè grande latitet æs alienum, oneraque alia. §. extraneis. §. Inst. de her. qual. & diff. atque sic eam adiens damnum incurrat. Ad quod fugiendum inter alia beneficia hereditatum datum est Jus deliberandi, quò intra lege definitum tempus, utrum se hereditati immiscere, eamve adire velit, an verò abstinere & hereditatem repudiare, in vires hereditatis inquirendi licentia data est. d. §. 5. Inst. de her. qual. & diff. Dn. Struv. Ex. 33. thes. 52. Intra quod tempus heres benè facit, si supradictam cautelam observet. Ratio hujus dicti est, ut ille hoc modo deliberare possit, an hereditatem adire velit an non. Si itaque heres hereditatem adeat, & Creditores sic vocati ad præstitutum tempus non veniant, nec de suis creditis doceant, sibi præjudicant, nec heres ipsis amplius respondere obnoxius est. l. 1. §. 6. ff. si cui plus quam per L. Falcid. Bart. in l. 5. ff. de Jure delib. Gail. 1. O. 5. n. 7. Joach. Mynf. cent. 2. O. 47. per tot. quam citationem Edictalem etiam Doctores requirunt in Inventarii confectione. vid. Schneidvv. ad §. 5. I. de her. qual. & diff. n. 12. requisit. 2. & Dn. Struv. d. E. 33. th. 55.

## CAUTE LA II.

Volens adire hereditatem, à die scientiæ, intra mensem inchoet facere Inventariũ

C 3

omnium

omnium bonorum, illudque infra alios duos menses compleat, nisi impediatur.

Non enim minimum, sed salutare & in Jure satis fundatum est hoc Beneficium, vid. *l. ult. §. 2. & 3.* ubi Gloss. in verb. *Sexaginta.* & in verb. *consummationem.* in fin. *C. de Jure delib. §. 5. 1. de her. qual. & diff.* Matth. Coler. *de P. Exec. p. 2. c. 3. n. 403.* Carpz. *p. 3. C. 33. def. 13.* Pomeresch. *ad d. §. 5. 1. de her. qual. & diff.* D. Struv. *E. 33. th. 54.* Si itaque heres adiens hereditatem hujusmodi Inventarium facit, tunc tali gaudebit privilegio, ut teneatur solum respondere creditoribus secundum vires hereditatis, & non ultra, detractâ Falcidiâ de Legatis. *d. l. ult. §. 4. C. de Jure delib.* Joh. Petr. Ferrar. Pap. *in Pract. Form. lib. quo pet. hered. ex Testam. gl. purè instituit. n. 10. 12.* & ibi notata. C. J. A. *ad tit. ff. de acquir. hered. th. 34.* D. Struv. *E. 33. th. 54. 57.* & insuper omnia illa conservat, quæ sibi à defuncto erant debita. *d. l. fin. §. 9. C. de Jur. delib. Ferr. d. l. C. J. A. d. l. th. 34.* ubi etiam adhuc multos alios effectus adducit. Quod & procedit in eo casu, ubi quis simul hereditatem & feudum adiit, tunc enim confecto Inventario ille non tenetur ultra vires Feudi & hereditatis. Dn. Struv. *Synt. Jur. Feud. cap. 14. aph. 29. n. 3. & aph. 30. n. 4.* Georg. Schultz. *in Synopsi I. ad tit. de her. qual. & differ. lit. e.* Si autem quis simpliciter adierit hereditatem, nullo facto Inventario, heres tenebitur ad omnia legata & debita etiam ultra vires hereditatis, nullâ factâ detractiōe Falcidiæ sive Trebellanicæ, imò & Legitimam perdit. *d. l. ult. §. 14. C. de Jure delib.* (Exceptio est in milite *l. ult. §. ult. C. de repud. vel abstin. hered. C. J. A. d. l. & Dn. Struv. d. E. 33. th. 57.*) & insuper omnia debita extinguuntur per aditionem. *l. 7. C. de pact. l. 47. ff. de fidejuss. & mandat. l. 95. §. 2. ff. de solut.* Quod utrumque tamen partim per contrariam observantiam, partim Jure Saxonico per expressum textum mutatum est. De priori, quod sc. hæres ultra vires hereditatis non teneatur, etiamsi Inventarium non confecerit, vid. *Landr. Lib. 1. art. 6.* ibi: *als ferne das Erbe wehret &c.* Carpz. *p. 1. C. 8. d. 8. n. 5. & p. 3. C. 14. d. 14. n. 7. & 9. & C. 33. d. 19. n. 5.* Dn. Richter. *decis. 60. n. ult.* & Dn. Struv. *E. 33. th. 57. & in Synt. Jur. Feud. c. 14. aph. 29. n. 3.* De posteriori lege sis Wesenb. *vol. 1. cons. 15. n. 86.* & Carpz. *p. 3. C. 23. d. 19. n. 4. &*

n.4. & C.33. d.18. & 19. Propter Creditores tamen, vel alios, quorum interest, sapius exigitur, ut vel legitimum Inventarium vel juratam bonorum hereditariorum specificationem heres edat. Dn. Richter & Dn. Struv. *dd. loc. vid. etiam Georg. Schultz. in Synopsi Inst. ad d. t. de hered. qual. & diff. lit. e.*

## CAUTE LA III.

Heres, ad cujus instantiam Inventarium conficitur, apponi curet protestationem, se omnes & singulas res fideliter jam indicasse & descripsisse, quascunque sciverit defuncti fuisse, & si aliqua forte per ignorantiam vel imprudentiam omissa fuerint, aut contingat, alia reperiri, se paratum esse, quam primum habuerit notitiam de illis, apponere. Quemadmodum e contra, si aliqua non apponenda fuerint apposita, pro non appositis sive adjectis habeantur.

Notum est, quod si quaedam res in Inventario dolo fuerint omissa, & per heredem occultata, de Jure Auth. heres perdat totum beneficium Falcidia in omnibus Legatis Nov. 1. c. 2. in pr. vers. *Sancimus*, juncta Gloss. ibi: super verb. *non forte*. & per designationem alicujus rei qua designanda non erat, Inventarium vitietur. Ideo, ne heres in suspicionem cadat, & ita Falcidiam amittat, totumque Inventarium pereat, bene facit heres, quando secundum supradictam cautelam protestetur, & curet, ut illa protestatio Inventario inseratur, tunc enim ex clausula generali ei subveniendum. l. 1. in fin. ex quibus caus. maj. & l. 6. C. de Fur. & fact. ignor. Spec. Tit. de Instrum. Edit. §. fin. vers. *quid si heres*. Schneidvv. ad §. 5. Inst. de hered. qual. & diff. num. 15, 16. Carpz. part. 3.

part. 3. C. 33. def. 12. n. 3. 4. 5. Dn. Struv. Ex. 33. th. 56. & C. J. A. ad tit. ff. de acquir. hered. th. 36. in fin. p. 466.

## CAUTE LA IV.

Filius vel filia sciens patris hereditatem propter debita hereditaria sibi non proficuum fore, potest eâ abstinere.

Quamvis liberi sui & necessarii heredes Parentum sint, & idèd Jure Civili sive velint, sive nolint, tam ab intestato, quàm ex Testamento L. XII. Tab. heredes existant. §. 2. l. de hered. qual. & diff. Tamen ne liberi deterioris conditionis sint quam alii, Prætor æquitate motus, hanc acerbitatem temperavit, & concessit liberis beneficium abstinendi, ut potius parentis quàm ipsorum bona similiter à Creditoribus possiderentur. d. §. 2. vers. sed his. l. 89. ff. de leg. 1. l. 12. ff. de vulg. & pupill. substit. l. 57. in pr. ff. de acquir. hered. Hier. Treutl. vol. 2. D. 12. th. 2. & 3. M. Dn. Struv. E. 34. th. 15. & 16. C. J. A. ad tit. ff. de acquir. hered. th. 4. 39. 40. & Magn. Dn. Rebhan. in Hodog. Juris chart. 2. clim. 2. parall. 3. p. mihi 341. 342. Et varii hujus abstentionis effectus recensentur à C. J. A. ad d. t. th. 40. & Struv. d. E. 34. th. 18. 19. Fideicommissa tamen non à patre, sed aliunde profecta, vel alia Jura singularia, quæ ad hereditatem paternam non pertinent, nihilominus retinere possunt liberi. l. 55. in pr. ff. ad SCt. Treb. l. 9. ff. de Jure. Patron. l. 29. ff. de op. lib. l. 6. in pr. ff. de rel. & sumt. fun. l. 114. §. 13. ff. de leg. 1. Quæritur autem, an factâ hâc abstentione filii nihilominus feuda paterna retinere possint? In decisione hujus quæstionis Dd. non conveniunt. Quidam distinguunt inter Feudum ex pacto & providentia, & alia Feuda; De illo dicunt, quod filius possit abstinere paterna hereditate & nihilominus Feuda retinere; de his autem non. vid. Treutl. d. l. th. 4. qui tamen lit. b. multos dissentientes, qui hoc tantum in Agnato permittunt, sed in filio, ut sit heres præcisè requirunt, allegat, & hanc opinionem refutat Dn. Richt. dec. 79. n. 37. & 30. Alii dicunt, quod si filius vivente adhuc patre paternæ hereditati juratò renunciaverit, quod tunc talis renunciatio ad Feudum non extendenda, & idèd talem renunciationem bonam cautelam ad onera

onera



onera hereditaria subterfugienda esse tradunt *Zaf. de Feud. p. 8. n. 9.* aliique ab eo allegati. Sed hanc cautelam non immerito deceptivam & ad delinquendam allectivam vocat *Franc. Sonsb. in Comm. ad us. Feud. p. 9. n. 168.* *Dn. Struv. Synt. Jur. Feud. c. 14. aph. 30. p. mihi 547.* qui tamen limitationem aliquam adjicit. Alii denique simpliciter respondent, quod filii Vasalli non possint repudiare hereditatem & retinere Feudum, sed aut utrumque retinere aut repudiare cogantur, moti textibus Juris Feudalis apertissimis, nimirum *2. F. 45. an agnati vel fil. def. & c. & 2. F. 51. c. quidam. §. filius. 4. de capit. qui cur. vend. Schneidvv. ad §. 2. Inst. de hered. qual. & differ. n. 6. 7.* *Dn. Wilh. Ludvv. Tract. de successione Feudi cap. 1. th. 3. p. m. 132. & seqq.* quæ opinio ut communis & receptior merito præfertur. Et hæc sententia etiam in Jure Saxonico est fundata, vid. *Organisch Aufschreiben. Tit. welchergestalt die Agnaten. §. do ein Vatter & c.* & in nonnullis locis extra Electoratum recepta, *Dn. Bechman. in Comm. ad Pand. tom. 2. E. 8. O. pract. 9. n. 79.* *Dn. Richter. decis. 79. & Dn. Struv. Syntag. Jur. Feud. d. c. 9. aph. 11. & cap. 14. aph. 30.* Limitant tamen Dd. hanc sententiam variis modis, uti videre est apud dict. *Ludvv. d. l. p. m. 138. usq. 143.* quibus addi posset, quod illa opinio obtineat, nisi per consuetudinem contrarium introductum sit, uti de quadam consuetudine testatur alleg. *Dn. Bechman. d. l.*

## CAUTELE V.

Filia quæ invita, licet juratò, renunciavit paternæ hereditati, coram quibusdam contestetur & juret, se propriâ sponte nunquam successioni paternæ renunciaturam: & si contingat, eam in futurum renunciare, id se invitâ fieri.

Communis quidem est Dd. opinio, filiam dotatam de Jure Canonico cum Juramento successioni paternæ renunciare posse. *c. 2. de jurej. in 6. & c. 7. de pact. eod. ibiq. Joan. Andr. Andr. Gail.*

D

2. O. 147.

2. O. 147. n. 1. ita, ut si dos conveniens ipsi data sit, excludatur ab hereditate paterna. C. J. A. ad Tit. ff. quib. non compet. bon. poss. th. 5. n. 3. Interim tamen certi Juris est, non valere istam renunciationem, ad quam filia minis vel verberibus, vel etiam callidâ machinatione & persuasione, quæ dolum continet, à patrefuit inducta. l. 1. §. 2. ff. de dolo. Castrenf. vol. 1. conf. 174. Quem ob causam filia, quæ invita renunciavit, per allegatam cautelam succurritur, ita ut illâ observatâ renunciatio facta non valeat. Gloss. in d. c. 2. de Jurejur. in 6. in verb. compellendos. Gail. d. l. n. 15. 18. Et quamvis Arnol. Ferron. ad Consuetud. Bur. Tit. de dote. §. 12. p. 150. hanc cautelam Vafritiem appellet, eamquæ cum Dan. Moller. lib. 3. semestr. c. 39. n. 5. improbet, tamen non video, quomodo illorum sententiæ subscribere possim, maximè cum Juramentum non debeat esse vinculum iniquitatis. c. animadvertendum. 22. q. 2. & c. etsi Christus. de jurejur. & expressè in d. c. 2. de jurejur. & c. 2. de pact. in 6. dicatur, quod illa renunciatio valeat, quæ Juramento non vi, nec dolo præstito firmata est; Ex quibus verbis à contrario sensu concludere possum, illam renunciationem non valere, quæ Juramento vi ac dolo præstito firmata est.

### CAUTE LA VI.

Qui vult, ut Legatarius propriâ autoritate & impunè Legatum apprehendat, permittat ei hoc in Testamento.

Quamvis Legati Dominium statim à morte Testatoris ipso Jure Legatario illud agnoscenti acquiratur. l. 80. ff. de leg. 2. Attamen propriâ autoritate ac inscio herede legatarius rem sibi legatam occupare & possessionem apprehendere non potest, sed de manu heredis capere debet. l. 3. §. 2. de leg. 3 l. 1. §. 2. quod legat. l. 13. ff. quod met. caus. Dn. Struv. Ex. 35. th. 19. Æquissimum namque Prætori visum est, unumquemque non sibi Jus dicere, occupatis legatis aut Fideicommissis, sed ab herede petere. l. 1. §. 2. ff. quod legator. Hinc datur heredi ad restituendam possessionem rei legata à Legatario propriâ autoritate occupatæ Interdictum quod

quod

quod Legatorum. l. 1. *in pr.* ff. *quod legat.* Carpz. p. 3. C. 13. def. 30. n. 3. 4. & Legatarius propriâ autoritate rem legatam occupans, Jure suo privatur, & legatum perdit, ut communiter tradunt Dd. in l. 1. §. 1. ff. *quod legat.* Br. post Gloss. in l. 13. ff. *quod met. caus.* add. l. 5. C. *de legat.* Menoch. *Conf.* 124. n. 31. & *seqq.* vol. 2. Ut autem Legatarius impunè & propria autoritate Legatum occupare possit, Testator benè facit, si ut supradictum, illi hoc in Testamento permittit, quod utique facere potest. l. 34. §. 1. ff. *de L. 2.* ibique Bart. n. 3. & ad l. 5. *de legit. tut.* l. 22. l. 80. ff. *de Leg. 2.* l. 11. C. *de Legat.* l. 64. ff. *de furt.* Cajus lib. 2. *Instit. tit.* 51. §. 1. Cephal. *conf.* 436. n. 32. vol. 4. Menoch. *remed. recuper. poss.* q. 9. n. 33. Dec. *conf.* 243. n. 3. Valq. *de success. creat.* §. 9. n. 16. Dn. Struv. *dissert. de vindicta privata.* th. ult. & d. E. 35. th. 19. Tutius autem Legatarius, hoc ipso etiam casu habitâ nimirum licentiâ autoritate propriâ occupandi possessionem, agit, si imploret officium Judicis, cujus auctoritate hoc faciat, quomodo hanc rem limitat Signorol. *de Homod. conf.* 4. n. 16. Herm. *Vultej. conf.* Marp. vol. 3. n. 165. usque 169.

## CAUTE LA VII.

Condemnatus in aliquo capitulo sententiæ, si nullam Leutationem vel Appellationem interposuerit, intra constitutum tempus debet satisfacere illi capitulo, etiamsi quoad cætera capitula ab Adversario appellatione vel Leuteratio interposita fuerit.

Quamvis Leuteratio sive Appellatio ab uno litigantium interposita alteri quoque communis sit, Id tamen de generali tantum modo Leutatione à totâ nimirum sententia intelligendum est; Aliter enim se res habet, si sententia diversa & planè separata in se contineat, & unus à certis duntaxat articulis sententiæ interposuerit Leutationem, Nil siquidem tùm juvat Lea-

D 2

teratum

teratum in reliquis capitibus & membris, quibus se forsitan gravatum existimat. *Ord. Prov. Jud. Sax. tit. 35. §.* da auch ein Breheil, verb. und darumb / ob gleich die Leuterung / welche allein von einem eingewandt / beeden theilen so wol als die Appellation gemein zu seyn pfleget / soll doch solches nur allein auff den Punct / deshalben geleutert / verstanden werden &c. Tot enim videntur sententiæ, quot sunt capitula sententiæ. *Felin. in c. cum inter. 13. n. 7. X. de sentent. & re jud. Gail. 1. Obs. 110. num. 2. Carpzov. in Process. tit. 17. art. 2. num. 43. & seqq.* Ideò cætera capita rei judicatæ autoritati relicta censentur. *arg. l. 29. §. 1. ff. de min l. 24. ff. de inoffic. testam. Carpzov. p. 1. C. 19. def. 9. n. 3. 7. & 8.* Quam ob causam iste, qui in istis articulis contra quos nullum remedium adhibitum fuit, ad faciendum aliquid intra certum tempus condemnatus fuit, illis satisfacere debet, aliàs non admittitur ulterius. Ex gratia: Reus aliquam Exceptionem peremptoriam vel mixtam vel similem effingit, & negativæ litis contestationi annectit, ideò Actori onus probandi injungitur; Reus verò propter Exceptiones à Judice prætermittas contra sententiam interlocutoriam Leutationem vel Appellationem interponit, tunc Actor intra constitutum tempus (quod in Terris Saxonis est tempus 6. Septimanarum & 3. dierum eine Sächß. Frist) Articulos probatoriales cum denominatione testium offerre debet, quod nuper rimè observatum W. in causa M.H. contra C.H. Si verò hoc facere cessat, ad probationem non ulterius admittitur. *Ehurf. Sächß. Gerichts- und Process- Ordnung. Tit. von der beweisung. 20. post pr. vers. und die renunciation in dem Fall &c. Matth. Berlich. p. 1. concl. 38. n. 106.* Quod verum est, si reus in certis nonnullis capitulis Leutationem vel appellationem, secus si contra punctum injunctæ probationis interposuerit. *Berlich. d. l. vel etiam quando sunt articuli connexi, & separationem non recipiunt, tunc enim perinde est, ac si contra totam sententiam Leuteratio interposita fuisset. Carpz. in suo Process. d. l.*

## CAUTELE VIII.

Mutuans non confidat Chirographo  
debi-

debitoris, sed adhibeat Testes, qui videant numerationem.

Saluberrimum quidem est beneficium, quod datur illis, qui in Chirographo confessi sunt, se accepisse tantam summam pecuniæ, quam tamen reverà non acceperunt, quod nimirum infra biennium Chirographum repetere, Exceptionemque non numeratæ pecuniæ proponere & ita se liberare possint, ut notatur post Dd. in *l. in contractibus. 14. in pr. & §. fin. C. de non numer. pec. Terminus in Process. c. 204. n. 44. 45. ibique Jacob. Schultes. C. J. A. ad Tit. ff. de Except. Exc. 7. th. 52. 53. & seq. Dn. Struv. E. 16. th. 47. & seqq.* Sed proh dolor! improbi & obæratī debitores, alique mali homines hoc beneficio abutuntur; Sæpè enim contingit, quod ignorantes naturam istius Exceptionis non adhibitis testibus mutuent, debitori pecuniam annumerent, soloque illius Chirographo contenti sint, e contra Debitores postea callidè negent pecuniam numeratam esse, ita ut creditor infra biennium repetens mutuum, cogatur subire onus probandi, nimirum debitori, solutam fuisse talem pecuniam, & hoc modo ille damnum incurrat, quia per testes probare non possit, cum remotis arbitris sive testibus mutuaverit. Ut autem etiam illi succurratur, benè agit, quando ut supra dictum, in præsentia Testium pecuniam debitori annumerat, ut si opus sit, actualem numerationem per illos testes probare possit. Joh. Schneidvv. *Inst. de Liter. Oblig. n. 20.* quod eò melius procedet, si Creditor curet, ut Testes subscribant Chirographum & testentur, numerationem pecuniæ in præsentia illorum esse factam. Et hæc cautela in aliis solutionibus etiam adhiberi potest.

### CAUTEA IX.

Judex, si timeat, tortum confessionem suam, quam antea post Torturam iteravit, deinde revocavit, & qui jam in Tortura confessionem istam reiteravit, etiam post spon-

D 3

taneam

taneam repetitionem iterum revocaturum esse, exacto biduo vel triduo post torturam, adhibeat Notarium & Testes, ut coram illis extra locum Torturæ reus confessionem reiteret, Notarius super hoc Instrumentum conficiat.

Notum quidem est, quod Tortura semel ex Indiciis præcedentibus illata, regulariter non possit repeti, nisi reus ab initio leviter & insufficienter tortus fuerit, aut nova Indicia supervenerint. Dyn. in l. repeti. 16. ff. de quest. quam opinionem communitur approbant Dd. Clar. lib. 5. sent. §. fin. q. 64. n. 46. C. J. A. ad Tit. ff. de quest. th. 19. n. 11. Fallit autem hoc inter alia, si reus in Tortura confessus, deinde ductus ad ratificandam confessionem in publico Judicio istam revocaverit, vel etiam si tam in tortura quam extra locum torturæ quidem confessus est delictum, sed postea revocat, talis enim ad torturam retrahitur, etiam aliis Indiciis non supervenientibus. Clar. d. l. & qu. 20. n. 31. & 36. Quoniam verò sæpè rei maligni delictum tam in tortura, quam extra locum Torturæ confitentur, postea verò si ad ultimum supplicium educuntur, & eis in conspectu populi sententia prælegitur, omnia negant, uti ante biennium fur quidam in Ducatu Saxo-Altenburgico faciebat. Ideò Judices Reis hujusmodi per suprascriptam cautelam benè possunt occurrere, adeò, ut si denuò ad publicum Tribunal ducti, revocare velint confessionem, non audiantur, sed quia testibus convicti sunt, simpliciter cum iis ad supplicium procedatur, uti hòc modò sæpè responderunt non tantum Lipsienses teste Matth. Coler. decis. 183. n. 1. 2. 3. 4. & Carpz. prax. crim. part. 3. quest. 126. n. 68. 69. & 70. sed etiam Jenenses. vid. D. Bechman. in Comment. ad Pand. vol. 2. part. 2. E. 11. n. 40. Obs. pract. 33. & ita ab Eisdem ad requisitionem Præfecti in Suhla M. Febr. 1664. sententia lata est, cujus verba ita sonant: P. P. Als Ihr uns die wider den verhaftten  
Balzar

Balzar Heimbecken ergangene Inquisition Acta ferner weit zugeschiebt / und Euch darüber des Rechts zu berichten gebeten / demnach sprechen wir vor Recht : Hat der Befangene vor diesem und anezo als Er anderweit mit der scharffen frage vermöge unsers auch jüngst ertheilten urtheils angegriffen werden sollen / auch ezliche Tage hernach aufferhalb dem Orth der Tortur, in beysein der Gerichts Personen / so wol Notarien und Zeugen / gestanden und bekandt / daß Er die Hexerey von seiner Schwiegermutter gelernt / mit dem Satan einen Bund gemacht / &c. &c. Vnd ist darüber ein Instrumentum auffgerichtet worden / So ist nunmehr an Inquisiten die Zhme vor diesem in unserm Urtheil zuerkandte Straffe des Feuers / wann Er gleich sein Bekandnuß wiederruffen solte / weil Er desselben überwiesen / zu exequiren und zu vollstrecken &c. B. N. W. Alia præjudicia adduxi in Disp. mea de Judiciis. cap. 1. Ind. 3.

## CAUTE LA X.

Agnati Majorum antiquas Investituras semper accuratè & magnâ diligentia custodiant, atque lineam, originem Feudi, adeoque primum acquirentem observent.

Certum est, quod Agnati in Feudo antiquo ex Pacto & providentiâ, in dem Altväterlichen Lehn oder Stammgut defuncto Vasallo succedere volentes, primum acquirentem den ersten erwerber / cujus beneficio & provisione ipsi ad feudi successionem vocantur, imprimis ostendere debeant, puta quod à primo acquirente descendant, originem ab illo, eademque Insignia gentilitia, & defunctus proximiores Agnatos non habeat : daß Sie einen Namen / Stamm / Helm / Schild und Waapen führen / und der verstorbene keinen nähern Bluts- oder Anverwandten vom Vasser her habe. Unde dicitur etiam Feudum ex pacto & providentia, quod Jure sanguinis à primo acquirente in aliquem defertur. Dn. Struv. Syntagm. Jur. Feud. cap. 4.

*cap. 4. aph. 12. in thesi.* Dixi autem, quod à primo acquirente descendere debeant; Possunt enim Agnati & proximiores esse, qui tamen non descendunt vel originem à primo acquirente ducunt *1. Feud. 1. §. 2. vers. sin autem unus &c. qui feud. dare poss. 1. Feud. 20. de benefic. Fratris. & 1. Feud. 8. §. 1. & 2. de successione Feudi. ibique Nobilissim. Dn. D. E. F. Schröter in Alma Salana P. P. Patronus atque Præceptor meus plurimum honorandus in Comment. ad text. Fur. Feud.*

Quoniam verò in hujusmodi Feudis antiquis proximioribus Agnatis sæpè non jus sed probatio deest, arg. *1. duo sunt Titij. 30. ff. de testam. tut.* Hinc illi cauti & providi esse debent, ut omnia secundum præscriptum modum observent. Et sic prudenter faciunt magnæ Familiæ & Agnati gentiles, & primariæ nobilitatis, quando libros genethliacos Stammbücher conficiunt; quibus continuâ serie originem & successiones familiarum describi curant. Si enim hujusmodi Libri in Archivo familiæ vel in alio loco honesto, vel etiam apud viros omni exceptione majores custodiantur, & ipsi de Familia hosce Libros pro fide dignis habeant, propter antiquitatem plenè probant, *cap. ad audientiam. 13. X. de prescriptionib. ibique Panormit. num. 4. & II. leg. fin. Cod. de re judicat. leg. 30. 31. Cod. de donat. leg. 10. ff. de probat. Besold. Thef. Pract. voce Archiven. Dn. Struv. Exerc. 28. thef. 28. Gail. 2. Observ. 149. num. 1. 5. 6. 7. & Myns. Cent. 5. Observ. 79.*

Atque hæc pro instituti & temporis  
ratione sufficient.

Soli DEO Gloria  
Amen.